

- Immo peregrinis, mendicis atque pupillis
 Per sibi commissas reliquas discurrere curas.
 Mi vero vacuo, claustrali carcere septo
 Acrem mordebant animum monimenta priorum,
 60 Flebilibusque vagas contingens vocibus auras
 Moesti fel cordis reparabam more medentis,
 Partim cauterio, partim medicamine puro,
 Imperiosa prius deflens solamina stulta;
 Dicere non poteram, tanta quod mente coquebam,
 65 Ceu truncus sterilis lignis aequabar adustis,
 Ac misero vitulo, sudibus quam saepe ligato,
 Illi consimilis patrum frenabar habenis,
 Cujus et historiam non simplio stamine texam.
 P
 Post octingentos domini, post ter quater annos,
 70 Aprili mense paschae bis septima luna,
 Sic vixit vitulus Vosaginis partibus altus,
 Ut legitur scriptis in praecedentibus illis,
 Annuus existens redeunte tempore veris.
 Pastores ovium multi tardique subulci
 75 Cum grege foetoso satagunt exire gregatim,
 Custodesque boum nec non servator equorum.
 Cura pervigili dum lustrant pascua campi,
 Clauditur ille domi, lugens sibi colla ligari,
 Gaudia nulla foris, intus pressura doloris,
 80 Et quod plus istis, absunt consortia matris.
 Triste sat ingemuit, cordis suspiria traxit,
 Erigit ad coelum facies atque invocat Iesum,
 Conclamat lacrimis binis pariterque vicenis,
 Ut custos stabuli solvat sibi vincula colli:
 85 Ubere de matris quoque gustet gaudia lactis.
 Haec duo suspirat, quae per contraria tornat,
 Cumque negatur iter, distentum tollitur uber.

58 me vero A. 67 frenatur A.